Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25961
Copyright: Admont, Benediktinerstift

discipulorum cordibus agerent · quia videlicet tristiciam magis de
abcessu quo eos desereret · quam de ascensu quo patrem peteret le
ticiam generarent · Unde benigne consolando subiunxit ·
Sed ego veritatem dico vobis · expedit vobis ut ego vadam · Expedit
ut forma servi vestris subtrahatur aspectibus · quatenus amor di
vinitatis artius vestris infigatur mentibus · expedit ut notam vobis for
mam celo inferam · quatenus maiori per hoc desiderio illuc suspi
retis · sicque suspensis ad superna cordibus vestris · ad accipienda iam
XII · spiritus sancti dona capaces fiatis · Si enim non abiero paraclitus non ve
niet ad vos · si autem abiero mittam eum ad vos · Non quia non pote
rat ipse in terra positus dare spiritum discipulis hec loquitur · cum aperte
legatur · quia post resurrectionem apparens eis · insufflavit
et dixit eis · accipite spiritum sanctum · sed ipso quia in terra posito et
corporaliter conversante cum eis · non valebant illi erigere men
tem ad sitienda munera gratie celestis · ascendente autem ipso
ad celos · et illi pariter omne desiderium suum illo transferebant ·
iuxta hoc quod alibi audierunt · ubi enim est thesaurus tuus · ibi
et cor tuum erit · ideoque capaces spiritus iam facti erant · non ultra de
morte eius contristati · sed de promissionis eius munere letati · luca
attestante qui ait · Et factum est dum benediceret illis · recessit
ab eis · et ferebatur in celum · et ipsi adorantes regressi sunt in ierusalem
cum gaudio magno · et erant semper in templo laudantes et
E · benedicentes deum · Patet autem hoc nec laboriosa expositio
ne indiget · cur eundem spiritum paraclitum id est consolato
rem cognominet · quia nimirum corda discipulorum quae recessus ip
sius mesta reddidisset · huius consolaretur et recrearet adventus ·
sed et singulis quibusque fidelibus vel de peccati perpetratione me
rentibus vel communi seculi huius afflictione laborantibus · dum
spem venie et misericordie celestis inspirat · profecto ab angore
tristicie mentem sublevando illustrat · Quia vero spiritus idem mentem
quam replet · non solum vim divine caritatis infundit interius ·